Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICA

De

NUTRITIONE

ET

ATROPHIA,

Quam,

PRÆSIDE

Viro Excellentiſſimo

GEORGIO WOLFF-GANGO WEDELIO,

Med. Doctore, Theoretices Profeſſore Publico, Archiatro Ducali Saxonico, & S.R.I. Acad. Natur. Curioſ. Adjuncto,

Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore ætatem devenerando,

publico examini ſubjicit

PETRUS EBELING, Hildeſienſis,

ad diem Martii, A.O.R. MDCLXXXII.

Horis Locoque conſuetis.

JENÆ,

LITERIS KREBSIANIS.

A. D. T.

PROOEMIUM.

Nihil in ortu ſui perfici, ſed ſpei rudimentum ante perfectionem cernas quotidiè; ſic ex herbâ ſuffrutex, frutex, tandem arbor, ex catulo moloſſus, ex embryone, ut & ad humanum genus accedam, infans, puer, adultus, tandem ſenex. Harum mutationum individuus comes eſt corporis quoad trinam dimenſionem extenſio, alias nutritionis nomine veniens; Hâc verò cum non gaudet corpus, atrophiâ laborare dicitur. In hujus rationem inquirere animus eſt, præmiſsâ paucis illius, ut rectum ſit norma & regula ſui obliqui, conſideratione. Utut verò maximè difficile utrumque ſit ob dubia, quæ ſeſe offerunt plurima: Lyncei enim hic pene optandi forent oculi genuinam ejus rationem explicaturo, quo beneficio tam illuſtris luminum aciei intima noſtri, quod nutritur, corporis penetralia adire protinus liceret; tamen jacta eſt alea, nec difficultatum ſeries, πάντα γὰρ τὰ καλὰ χαλεπὰ, impedit experiundi conatum, quid valeant humeri. Ergò aſſiſte, precor, Deus Triune!

CAPUT I.

De
Nutritionis neceſſitate.

§. 1.

CHimicis analogicè Nutritio audit, cùm materiam quandam medicam, ſive ad feliciorem extractionem, ſive virtutem majorem conciliandam, ſucco ſive ſpiritu quodam ſubinde irrorant & aſpergunt; Non talem imbibitionem, ſed abſumti in corpore reſtaurationem hoc loco denotari, in aprico eſt.

§. 2. Si prius quæratur, ſecundum *Philoſophi* monitum, quàm tractationem exordiar, an hæc reſtauratio ſit, an fiat? multa ſunt, quæ amplius dubitandi tollunt anſam. Primò enim manus oculatæ credunt, quod vident; videmus verò & palpamus, corpus in eodem ſtatu novis ſuccendiculis conſervari, imò augeri. Deinde ſumma nutritionis neceſſitas, duri inſtar teli, aſſenſum extorquet. Corpus ſiquidem noſtrum, è ſpirituoſis, humidis & ſolidis particulis conſtans, in continuo eſt motu, calor motu fotus inteſtino, ſub ſpiritus vitalis regimine, continuò agit in humidum, idque difflat, & efflat, idque tantò magis, ſi à laboribus externis ſuſcitetur magis. Sine humido verò nec ſpirituoſæ, quæ & ipſæ fatiſcunt ſimul continuò, nec ſolidæ ſubſiſtere, nec adeò ſalva machina perſtare poteſt. Neceſſum ergò eſt, ut principium nutribile, humidum, idque duplex, ſanguis & ſerum, continuò reſtauretur, quæ continuò hinc ad partes omnes amandantur, ita ut & propriâ deſtinatione ſanguis ſanguinem, ceu unda undam, celerius ex arteriis, mediantibus carnoſarum partium poris, in venas capillares, & ex his beneficio cavæ ad cor pellat & repellat, & ob muſculorum totius fortiorem & repetitam ſæpe compreſſionem, de loco in locum urgeatur. Hinc porrò liquet, quò magis intendit calorem motus hic particularum ſanguinis

mobi-

mobiliorum ſpirituoſarum, ſulphurearum, ſalinarum auctior, eo magis dictas particulas humidas nutritias cumque his vectas ſpirituoſas angulis ſuis ſe invicem atterere, diſſolvi, rarefieri, attenuari. Hæ rarefactæ & attenuatæ, poris glandularum ſubcutanearum earumq; vaſculis excretoriis dilatatis aptatæ, copioſè, hac data porta, tam per ἄδηλον διαπνοὴν, quàm manifeſtam & ſenſilem tranſpirationem excluduntur atque exhalant ex corpore, unà cum ſpirituum animalium & vitalium per has vias jacturâ non exiguâ.

§. 3. Hæc igitur abſumptio, hæc jactura partium corpori utilium, in deperditi locum aliud ut ſuggeratur, expoſtulat: Illud niſi fieret, corpus vegetâ ſanitate diu non gauderet, ſed brevi, cum ultra diem ſeptimum famem perferre nequeat, teſte *divino Sene*, periret. Inde alimentorum appetitum & uſum in dies ſingulos bis ad minimum ſentimus, & expoſcimus; quo autem copioſius diſſipantur tum ſpirituoſæ, tum humidæ nutritiæ particulæ, eò copioſius, eò frequentius, requiritur & aſſumitur cibus; exemplo ſint ruſtici, fabri, aliique durioribus dediti laboribus. Rectè adeoque nutritio & vita pari, quod ajunt, paſſu ambulant.

CAPUT II.

DE

Nutritionis cauſa materiali, efficiente, & finali.

§. 1.

NUtrimentum quæ qualisve conſtituat MATERIA, ſunt mille hominum ſenſus, diſcrimina mille. Alii illam quærunt in aere, alii in chylo, alii in ſucco nervoſo, alii in ſanguine ſolo, alii in unico ſero, alii denique in utroque poſtremò. Hanc ultimam opinionem reliquis præferendam eſſe declarabunt mox ſequentia. Cum enim duplices ſint in corpore humores diſſlabiles & reſtaurationis indigi, quod innui-

nuimus, alter rubicundus ſanguis, albicans alter ſerum, ſi ſeorſim vaſis ſuis vectum vel ſeparatum conſideretur; Cum item duplices nutriendæ partes, ſereæ, quas ſpermaticas vocant, ut oſſa, membranæ, cartilagines; & ſanguineæ, ut muſculoſæ & parenchymaticæ vulgò dictæ, meritò utraque hæc nutritioni inſervire efficitur.

§. 2. Aer vero nutritionem præſtare nequit: non continet enim tales ſubſtantificas partes, quales ad eam requiri paulò poſt dicetur. Concurrit tantùm ut cauſa, ſine quâ ea non fit, quatenus nimirum maſſam ſanguineam, in cujus poros tranſit, in pulmonum veſiculis ratione ſui ſalis volatilis attenuat, & ita ad feliciorem ad partes appulſum aptiorem reddit. Eſt ſcil. ſanguis ventriculum dextrum cordis & inde pulmones ingreſſus aliquanto ſpiſſior, inde verò redux factus, ac in ſiniſtrum ventriculum pulſus fluxilior ac mobilior, teſte *Lower. tract. de Cord. c. 3.* Neque perſuadere poteſt, nutritionis opus aeri competere, diutina quorundam ad aliquot menſes, imo annos, protracta ab omni cibo potuque abſtinentia, ceu fictitia, qualis utplurimum, aut calori debili materiæque alibilis abundantiæ, aut etiam fermentationi ſanguinis minori, hinc ſpiritibus animalibus paucioribus & tranſpirationi minori adſcribenda.

§. 3. Videtur quidem hâc virtute præditus aer non tam ratione ſui, quàm odorum ſuavium, quorum vehiculum exiſtit ſæpiſſime: proſtant enim exempla quorundam ſolo horum, nullius cibi potusve uſu, vitam ſibi prolongaſſe. Sic Democritum odore panis calidi triduum ſuſtentatum ſcribunt Autores; ſic coqui & piſtores, quos ad unum fere omnes obeſos cernas, continuis hujuſmodi halitibus pingueſcere videntur, ut *Plinii* fabulam huc nō referam de Aſtomorum gente quâdam, extremas Indiæ oras incolente, quam ſolo halitu & odore radicum, florum, & ſylveſtrium quorundam malorum citra ullum cibum ullumve potum vivere ſcribit *H. N. l. 7. c. 2.* Sic & *Cous lib. de aliment.* πρόσθεσιν καὶ ἀνάληψιν odoribus aſcribere videtur: quicunq;, inquiens, veloci appoſitione

tione indigent, his humidum medicamen optimum, quicunque adhuc velociori, per olfactum, nec non *Lang. miſcell. Cur. med. p. 22.* in penetranti odorum fragrantia phthiſicorum & tabidorum ſummum ponit ſolatium.

§. 4. Verùm ſingula hæcce an evincere valeant odorum nutritiam vim, illorum penitior conſideratio monſtrabit. Conſtituunt autem odorum eſſentiam ἀναθυμιάσεις, effluvia tenuiſſimæ ſubtilitatis, quam ingenioſiſſimus naturæ ſcrutator *Boyleus l. de mir. ſubtil. efflav. c. 5.* inde probat, quod exigua imò ferè nulla ponderis molisve diminutio fiat in corporibus odoriferis, etiamſi ſæpiſſime naribus admoveris. Quoad principia ſui conſtitutiva ſunt hæc effluvia naturæ ſalinæ volatilis oleoſæ ſeu ſulphureæ, uti hæc curioſitas *Excell. D. D. Præſ.* Præceptoris, Patroni ac Promotoris mei omni obſervantiæ cultu devenerandi, accuratiſſimè, ut ſolet omnia, demonſtravit *p. 268. Phyſiol.*

§. 5. Ex his colligi poteſt, corpus noſtrum cum humidum in receſſu γλισχρὸν, ſeu ſolidius & ſibi ſimile requirat nutrimentum ad appoſitionem, per mox dicenda, odores nutritionis materiam promittere non poſſe, ceu ob volatilitatem facillimè iterum perituros. Ad allata quod attinet exempla, concedendum quidem activitatem & penetrantiam odorum maximam ſpiritibus animalibus, cum quibus immediatum habent contactum, ſecundum *Helmont.*, deficientibus, langueſcentibus, debilibus, ac ſubſiſtentibus quaſi in ægris priſtinum & naturalem fœnerari vigorem & motum, ut hinc corpus vires quodammodo recolligat, quod ad Democriti exemplum notandum; Verùm id temporarium ſeu momentaneum ſaltem & inſufficiens longè eſt ad perficiendam nutritionem, quæ ſubſtantiale magis & conſiſtens corporeum requirit. Similem quoque appoſitionem *Cous* intellexit: illam enim quæ propriè talis, & de quâ hic ſermo eſt, tantâ celeritate fieri poſſe veritati conſentaneum non eſt. In iis autem, qui ſanitate fruuntur integrâ, eosdem ſpiritus ſuſpicor continuò roborare, hos proinde præparandis & purifican-

candis chylo & ſanguini inſervientia viſcera nunquam deſtituere. Præprimis in ultimis panis halitus ventriculo grati maximè ad obeſitatem concurrere poſſunt, ut taceam lautiorem diætam, neque id de omnibus valere. Hoc etiam illud evincit, quod ventriculi debilitati egregiè ſuccurrat fermentum & acetum, ut & ſpecies pro fermento *Mynſ.* ac emplaſtrum de cruſtâ panis. Phthiſicis vero conducunt odores, quatenus lympham acriorem in pulmonum veſiculis ſtagnantem alterant & corrigunt. Hæc de aere.

§. 6. Nunc ad CHYLUM; ille quod non nutriat, cruditas ejus variis adhuc indigens cohobiis & purificationibus diſſuadet; idem prohibet aſſerere viarum defectus pro eo ad partes advehendo. Ubi enim ad maſſam ſanguineam delatus purpuram induit, chyli nomen amittit, & ſanguinis titulo indigitatur; Remotè tamen & mediatè quod concurrat, negandum non eſt, habet enim materialia alimenti principia, ſulphur & aquam, ſed utraque vitalitatis charactere magis ſigillanda.

§. 7. Neque porro SUCCO NERVOSO hæc dignitas competit: denegata enim nervis pro hoc vehendo cavitas, quin & defectus ipſius, ceu nullius hactenus oculis uſurpati, vel ſi admittatur, inſufficientia id ſtatuere vetant. Alimenti enim, quæ verba ſunt *Williſ. Anat. cereb: c. 20. p: m. 104.* in ſubſtantiam partium ſolidarum aſſimilati ſæpe diſpendia fiunt immenſa, præſertim à ſudoribus immodicis, labore, & exercitiis fortioribus, quibus operarii aſveſcunt; fieri verò nequit, ut tales jacturæ nutricatus per exiles nervorum ductus ſuppeditato reſarciantur. Non tamen excludi plane à nutritionis opere nervos, ex ſequentibus circa cauſam efficientem patebit.

§. 8. Non itaque ab aere, non à chylo, non ſucco nervoſo materiam nutritionis proximam expectare fas eſt; hinc aut in ſanguine ſolo aut in ſero tantùm, aut in utroque illa lateat oportet. Non in altero ſolo, quia præter dicta & hoc & ille partes nutribiles continet, ergo uterque latex merito hoc

titu-

titulo, quod materiam ſuppeditet, dignus cenſetur.

§. 9. Objici quidem poſſet: Si nutritio debet fieri per ſimilia, ſive ex eo nutrimur ex quo conſtamus, utique ſolum ſerum huic muneri præeſt. Conſequentiam videtur illud probare, quod prima corporis ſtamina ex maſſa albuginea in ovulo contenta formentur; deinde quod à ſimili plane humore, lactis æmulo, quo etiam aurâ nunc fruentem hactenus embryonem nutrices alunt, incrementum capiant eadem; ut detexit hoc recentiorum ſolertia, quæ anatome & inſpectione tum variorum brutorum, tum ovuli incubati aut fotus nondum experti, ſingulas partes tanquam in circulo ex ſereo liquore delineatas ope microſcopii vidit, & ſimilem quoque in chorio & placenta majorum animalium reperit.

§. 10. Sed his ut ſatisfiat objectionibus, notandum: naturam ad prima rudimenta corporis, oſſa nimirum, cartilagines &c. formanda uti quidem ejusmodi albicante materiâ fixiori & tenaciori; ad carneas tamen partes illa inveſtientes poſtmodum conſtituendas uterque latex, ſerum albicantes fibras carni interſperſas producens, & ſanguis harum fibrarum ſpatia deinde replens requiritur, unde ſuccus lacteus, qui in placenta viſitur, non ſolus, ſed cum ſanguine miſtus per venam umbilicalem fœtui affertur, teſte *Hippocrate, Warthono, Schneidero,* quos citat conſentiens *Bartholinus Anatom. ref. c. 37. l. 1. p. 315.* Hæc igitur planè non impugnant nec evertunt receptam parœmiam, nutritionem fieri per ſimilia, ſeu eo, ex quo conſtat corpus. Quin promptè hi duo liquores ſe ſubeunt & permeant, ita quidem, ut pinguior & magis γλισχρὸν, unctuoſiorque ſeri pars ipſa faceſſat in ſanguinem continuò, eundemque propaget. Hinc vitiatus non-nutriente tali charactere ſanguis ipſe non minus ac ſerum depauperatur, quaſi vacuas impellens venas. Utrique verò ſuccendiculum fœnerat perpetuum chylus, tanto magis quod ipſe inſtructus eſt particulis &c. ſulphureis, & vectoribus illorum aqueis, illigatis & unitis beneficio ſalis, quod amicitiæ &

ſymboliſationis interpres eſt inter eadem hæc duo. Unâ verò tincturæ clavem gerit, quæ facilis eſt accedente digeſtione, inprimis cum ſalis volatilis ſanguinis acceſſione, & conquaſſatione continuata. Facit huc, quod lac albicans, ſale tartari addito, & factâ leni coctione, horæ quadrantis ſpatio ex flavo rubrum induit colorem, experimento *Harderi in prodrom. phyſiolog. p. 49.* Idem illuſtrat à poſteriori experimentum alterum, quod ejuſdem animalis caro ſale volatili fuliginis copioſè imbuta intensè rubet, concentratis & expanſis particulis ſulphureis χλιαρεσῖς, contra ea muriâ condita albicat, præcipitato à ſale communi acido ſulphure, & factâ ſimul diluitione majori earundem.

§. 11. Sed hiſce miſſis, quales ſint partes ſanguinis & ſeri, quæ nutriunt, expediendum nunc eſt. Eas *Excellentiſſ. D. Præſ.* nunquam non honorificè memorandus, docet, debere eſſe χλιαρὰς, lenteſcentes, gelatinoſas, *phyſiol. p. 97.* Sunt nimirum, præter activas ſalinas ſulphureas partes, terreæ aqueis paucis remixtæ: præter illas enim ſolidum aliquod, unde moles & magnitudo corpori accreſcat, requiritur, dicente *Willis de Urin. p. 226.* Porro decet has eſſe blandas, dulces, ſenſu medico, ſive nulla heterogenea qualitate imbutas; ita nimirum maſſa ſanguinea omne feret punctum, ſi miſceat utile dulci. Hoc ſenſu etiam *Cous l. 2. de diæt. c. 23. t. 19.* dulcibus nos nutriri ſtatuit: Τὰ γλυκέα, *inquiens*, καὶ τὰ λιπαρὰ πληρωτικά ἐστι, *dulcia & pinguia replent*, i. e. nutriunt. Ejuſmodi vero partes gelatinoſas in ſero eſſe fidem facit *Barbati* experimentum in *hiſt. ſer. & ſangu.*, hoc ſc. ſeri quantitatem cochleari exceptam, factâ leni ignis calore exhalatione aquearum partium, in materiam fibroſam & ſpiſſeſcentem inſtar gelatinæ coire monſtrat. Neque etiam ſanguini denegari eadem poteſt: ille ſiquidem ſimul ac ex animali effluxit, ſtatim exhibet, leni, facta bacillo, conquaſſatione, hujuſmodi maſſam viſcidam, fibroſam, ſpiſſeſcentem, carni plane ſimilem. Vid. *Harder. in prodrom. phyſiol.* Quin & ſi alicubi in vaſe ſtagnet, mox in fruſta oblonga, albida, & dura, quorum

ſub-

ſubſtantia carnea plane eſt, coagulatur, teſte *Willis. anatom. cereb. p. 105.*

§. 12. Quo igitur dictæ materiæ copia in maſsâ ſanguinea major exiſtit, non deficiente quoque ſpirituum animalium & viarum rectâ diſpoſitione: eò plus nutritur corpus, & contra. Docent hoc juniora animalia & Venæſectio in obeſis & tabidis, quorum illi ſanguinem hoc refertum, hi vero deſtitutum fundunt.

§. 13. Hoc τρόφιμον, hoc γλισχρὸν, hic ſuccus nutritius unde originem trahat, ſi diſquiramus ulterius, illum aſſumta ſubminiſtrant. Illa, factâ in ventriculo coctione ac ſolutione, quoad utiliorem ſui partem, ſecretâ & ad inferiorem portam relegatâ inutili, nomine chyli per vias lacteas & ductum thoracicum, beneficio motus inteſtinorum periſtaltici & abdominis inſpiratione & exſpiratione factæ expanſionis & compreſſionis, ad ſubclaviam derivantur, ſanguini & cordi appelluntur, ac purpuram induunt factâ expanſione particularum ſulphurearum oleoſarum à ſalinis, uti §. *10.* dictum.

§. 14. Hactenus de nutritionis materia, nunc ad Causam efficientem, quam ſtatuo calorem, qui unà cum ſanguine appulſo partibus advenit, & ſpiritus animales tam in ipſo vitali nectare latitantes, quos alii vitales dicunt, quam per nervos affluentes. Modum, quo hæc effectum iſtum producunt, plurimi Autores dicunt πρόσθεσιν, πρόσφυσιν, καὶ προσομοίωσιν, *appoſitionem, agglutinationem*, ſeu connaturationem, *& aſſimilationem.* Hoc eſt, dum ſanguis cum ſatellite ſuo ſero, beneficio motus cordis muſcularis, ad partes quoad vias & ſpiritus animales ritè conſtitutas appellit, recipitur & ſenſim remanet ibidem ſuccus nutritius, gelatinoſus, qui à ſpiritibus animalibus & calore, humidas aqueas partes, conſiſtentiam debitam impedituras, diſſipante, actuatus in fibroſa filamenta albicantia concreſcit, inque ſpatia ſua alias viſcidas, lentas ſanguinis partes recipit, & muſculoſas ita partes auget, ſeroſis verò ſero contentis. Reliquus liquor ad effectum ſimilem, tum ob partis nutriendæ capacitatem

inſufficientem, tum ſanguinis ipſius indiſpoſitionem, nondum aptus per poroſitates partium ab alio novo appulſo in capillaria venarum vaſa cogitur, ex his in majora, denique ad cor remeat, ut ſic redeat labor actus in orbem.

§. 15. CAUSA tandem FINALIS ex hactenus dictis facilè patet, quæ ſc. eſt abſumti in corpore reſtauratio, illa vero ubi ſuperat id, quod deperditum fuit, auctio dicitur; ſin eo minor exiſtit, vel plane nulla, atrophia audit, de quâ nunc, ut contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant.

CAPUT III.

De *Atrophiæ definitione ac cauſis.*

§. 1.

HIs conſueta methodus præmittit Vocis

1. ETYMOLOGIAM, quæ nomen τροφὴ, (quòd vertitur per *nutritionem.*) & α, privativum Latinis dictum, Græcis στερητικὸν, atrophiæ vocabulo originem dediſſe, certiores nos reddit, unde per τὸ non-nutritio, modò ſatis latinè fieret, explicandum eſſet;

2. HOMONYMIAM: illa tamen nulla eſt hoc loco, niſi vitioſam nutritionem in cachecticis eo quoque nomine inſignire velis, cùm non vera ſit appoſitio, quod autem uſus vix, quod ſciam, obtinet; Quare ſatius fuerit, nam illum penes arbitrium eſt, & vis & norma loquendi, receptiorem ſignificationem retinere;

3. SYNONYMIAM: Hæc nomine tabis, maciei, contabeſcentiæ, marcoris, maraſmi, ariduræ, gracilitatis eandem rem denotat.

§. 2. Definitur verò, quod ſit privatio nutritionis partium corporis, interdum omnium, interdum hujus vel illius tantùm, à defectu particularum nutritiarum in partibus nutriendis, oriundo vel à maſſæ ſanguineæ, vel ſpirituum animalium dyscraſiâ, vel à partium vitio.

§. 3. GE-

§. 3. Genus eſt privatio nutritionis; Eam quidem non totalem, quaſi nulla penitus fiat, intellectam volo, ſed dico talem ad ſenſum. Licet enim videatur ſæpe corpus ſupra ſceleton torridum,& nil niſi oſſa,quæ viduata carne cutis tegit, exhibeat; aliqualem tamen fieri abſumti reſtaurationem non ibo inficias; vix enim maſſam ſanguineam ita totaliter exhauſtam reor partibus nutritiis, ut nihil prorſus partibus apponat.

§. 4. Subjectum ſunt partes primò φύσιν toti fœnerantes oſſeæ, cartilagineæ, membranoſæ &c. antequam anni ſiccitatem & duritiem induxerint. Tunc enim uti non amplius admittunt quicquam, aut parum ſaltem, ita & atrophiâ laborare minus commodè dicuntur. Deinde etiam nutritionis ſunt ſubjectum carneæ muſculoſæ: has ſiquidem dum ſpiritus regit etiam creſcere docet, cum vero illud non fit, maciem è contrario experiuntur, idque interdum omnes ſimul, quandoque hæc vel illa ſeorſim, v. g. pes, manus, digitus. &c.

§. 5. Nunc, quibus debeatur cauſis atrophia, diſpiciendum eſt: Impoſſibile nimirum, inquit *Avicen. l. 4. fen. 1. tr. 2. c. 7.* curare morbum non cognitum prius. Hinc non incongrue *Ovid.* cecinit olim: non intellecti nulla eſt curatio morbi; eſt enim morbum ſcire eum per cauſam cognoſcere. Eſt itaque Causa immediata maciei defectus ſucci nutritii in partibus, quæ illum deſiderant. Deficit in iis ob cauſam Mediatam proximiorem, quæ ſtatuitur dyſcraſia maſſæ ſanguineæ aut ſpirituum animalium, vel partium vitium. Sanguinis dyſcraſia in culpâ eſt, quando vel deeſt in quantitate ſuccus nutritius, vel adeſt ſed ineptus ad expectatum finem, aut etiam è corpore expellitur & eliminatur. Deeſt 1. ſæpe ex jactura ejus & ſpirituum animalium à morbis exantlatis, 2. ob chylum neſcientem aditum ad maſſam ſanguineam; quando ſcil. ventriculus cibos non appetens eum non ſuppeditat, ſive etiam lacteæ occluſæ, aut vermes in inteſtinis aut alibi latitantes non trans-

 mit-

mittunt. Quando verò adeſt, ſed vel ineptus eſt, vel expellitur, id fit ob fermentationem ſanguinis aut majorem, aut minorem. In minori copia partium fixiorum, terreſtrium, tartarearum, viſcidarum, crudiorum, viarum proportioni & capacitati non reſpondens liberum ac legitimum ſanguinis per meatus debitos tranſitum impedit; hinc ſpirituum animalium ceu ſubtiliſſimæ ſanguinis partis generatio & ſecretio periculum patitur, ſuccus verò nutritius vitioſo charactere inquinatur, disjungitur, debitam conſiſtentiam non acquirit, verbo, ineptus evadit. Plurimum huc quoque confert, ſi acetosâ qualitate inſignitus ſit. Inde eſt, quod multi hypochondriaci, ſcorbutici, obſtructionibus meſenterii, vaſorum lacteorum & in ſequiori ſexu uterinorum laborantes maciem incurrant. In majori fermentatione materia ſalina acris, alcalina, biliosa, utplurimum in ſanguine vel continuò latitans, vel per vices illata, particulas nutritias in gelatinoſam ſubſtantiam concreſcere non ſinit; ſed eas diſſolvit, attenuat, exhalationi ex corpore aptas reddit & diſſipat, quod tum in bilioſis, hecticis, ſcorbuto volatiliori & febribus continuis, tum in intermittentibus & phthiſicis contingit. Et in his calor ſæpe momentaneus ſeu phlogoſis poſt aſſumtum præprimis cibum, & ſudores colliquativi nocturni ſæpe moleſti id quam maximè patefaciunt.

§. 6. Secundam cauſam conſtitui ſpirituum animalium vitium; peccant verò hi vel exceſſu, quando vitioſi generantur ob copiam talium humorum, & fermentationem majorem, ut ante dictum, unde & in ea plerumque ſimul in culpâ ſunt; vel defectu, quando non generantur ſufficienter ob ſenectutem, vel aditum ad partes non inveniunt ob motum eorum læſum, quod contingit in affectibus ſoporoſis, & nervorum obſtructione, impediente ſc. lympha viſcidiori vel etiam copioſiori in hac tranſitum in ductus ſuos, in iis generationem & ſeparationem. Ad nervorum vitium etiam referenda eorum inciſio ſeu vulneratio, uti *Charleton. in œcon. animal.* fœminam quandam brachii atrophiam reportaſſe hoc modo ab incauta Venæ Sectione ſcribit.

§. 7.

§. 7. Partium denique culpâ oritur atrophia interdum ob easdem dictas cauſas, ſanguinis ſc. & ſpirituum vitium, quò & viarum obſtructio referenda; ſæpe ab ulcere in hâc illâve parte exiſtente. Hoc modo enim ſanguis copioſè ad eam amandatur, reliquis verò ſubtrahitur, quin imo ex effluviis ex hujusmodi ulcere ipſi communicatis corrumpitur.

§. 8. Causæ remotiores, quæ gracilitatem inducere valent, ſunt vel naturales, vel non-naturales, vel præternaturales. Ex Naturalibus huc facit ſanguinis hæreditaria diſpoſitio, ſive pluribus ſalino-ſulphureis partibus ſeroſis verò paucioribus inſtructa, ſive fixioribus tartareis referta, illis contra deficientibus. Hæc igitur fermenta alios humores facilè inquinant, ſeſeque multiplicant. Priori in ſtatu quod eſt corpus, cum particulæ activæ mobiliores paſſivas, inertes, motui ineptiores quantitate ſuperent, dici ſolet temperamenti calidi & ſicci. Huc pertinent qui bilioſi, hectici, phthiſici, ſcorbutici à parentibus talibus evasêre. Poſterioris conditionis quod eſt corpus, cum contrario modo hic ſe habeant principia, frigidæ & ſiccæ interdum etiam humidæ complexionis ſtatuitur. Ad hanc claſſem refertur etiam ætas, inprimis ſenilis; in hac enim ſeri quoque & ſpirituum animalium nec non aliorum activorum principiorum defectus eſt. Hinc in iis calor minor, coctiones tum in ventriculo, tum in aliis viſceribus debiliores, ſanguificatio adeoque & ſucci nutritii præparatio infirmior.

§. 9. Cauſæ autem hæ naturales non ſemper malo anſam dant, ſed ſæpe ſatis benè à primo ortu ſe habent; diſpoſitionem proinde talem adſciſcit non raro ſanguis ex cauſis mediæ claſſis, quas Non-naturales ſive medias inter illas duas dicunt, ſuntque: Aer, cibus & potus, ſomnus & vigiliæ, motus & quies, excreta & retenta, animique pathemata.

§. 10. Aer quomodo ad atrophiæ oppoſitum concurrat, ſupra *cap. 2. §. 2.* dictum. Ad hanc igitur facit, ſi peccet in quantitate, vel qualitate. Illâ, ſi pauciores & minus ſuffi-

cien-

cientes particulas ſui elaſticas ſanguini conferat; hâc, ſi plures tribuat, aut vitioſus advehatur. Quando ergò ob veſiculas pulmonales obſtructas, vel compreſſas, nec ſatis expanſas, ſuive ipſius craſſitiem aditum ad maſſam ſanguineam non invenit legitimum, ſanguis attritionem, inque minima ſui diviſionem non adipiſcitur, hinc neque ad partes debito modo appellit. Confert etiam huc, quando plures partes elaſticæ, exiſtente ſc. calido & ſicco eodem, advehuntur, unde maſſa ſanguinea & unà cum hac materia nutribilis rarefiunt nimis, & tranſpirationi apertis cutis poris ab externo aptæ redduntur. Sin vitioſus ſit, nutritionem impedit, quatenus maſſam ſanguineam corrumpit, nec partes nutritias coire ſinit. Fit hoc ubi metallicis, mineralibusve, aut aliis naturæ noſtræ incongruis, & inimícis, craſſis, fumoſis exhalationibus refertus eſt; hinc enim metallurgos plurimos macilentos videas; hinc Londinenſi aere fruentes tabidos reddi permultos ſcribit *Williſ. part. 2. pharm. rat. c. 6.* eamque ob cauſam auſtrales Angliæ regiones illos incolas gregatim petere, quibus verò trans mare currere nec libeat nec liceat è fumoſis urbibus, eos ſtatim in rus tanquam certiſſimum refugium feſtinare.

§. II. Aerem excipiunt ALIMENTA; Cibus & potus conſervant quidem corpus noſtrum, idem verò ſæpe perit cibo & potu, ac non nutritur. Potus enim nimiâ copiâ, fœculentior, vel alio vitio præditus fermentum ventriculi enervat, fibras ejus laxat, minus rectè fermentatur, partes nutritias & ſanguinem laxiores & fluxiliores reddit, hinc particulas activas disjungit, & calorem minuit. Cibus, coctu difficilis, crudior vel copioſè ingeſtus, non, uti par erat, reſolvitur & præparatur, ob fermenti efficaciam illo minorem. Non factâ igitur rectâ ζυμώσει viſcoſior, craſſior relictus ſæpe in itinere, ob denegatum per lacteas tranſitum, quod in infantibus & pueris ἀδδηφάγοις frequenter occurrit, intercipitur, aut alibi in vaſis ſanguifluis ſtagnat, hocque modo ſæpe gracilitatis autor exiſtit; nam vitium primæ coctionis non corrigitur in ſecundâ, nec in tertiâ.

§. 12.

§. 12. MOTUS ſi ſit fortior quomodo concurrat, *c.* 1. §. 2. demonſtrat; Ubi verò deficit idem, & quies contra ac vita ſedentaria magis placet, circulatio ſanguinis minor, ut ex citata theſi colligere eſt, ac στάσις ſanguinis & lymphæ in meatibus ſuis fit; exhalantibus igitur ſubtilioribus partibus craſſiores relinquuntur, calor obtunditur & minuitur, unde etiam hic phyſicè, uti moraliter,

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiunt vitium, ni moveantur aquæ.

Atque hinc quoque ratio peti poteſt atrophiæ cum gibboſitate conjunctæ. Licet enim & anguſtia pectoris, indeque aucta cum reſpiratione rarefactio ſanguinis, ut & compreſſio ductus thoracici & aortæ plurimum in causâ ſit; meretur tamen præcipue quoque accuſari motus ſpinæ dorſalis prohibitus, unde nec ipſi, nec reliquo corpori diſpenſatur legitimè nutrimentum debitum.

§. 13. SOMNI & VIGILIARUM ſummè quidem neceſſariæ ſunt viciſſitudines: Corpus enim diurnis langueſcens laboribus, ſi careret alternâ requie, inſequentium dierum operibus ferundis non eſſet ob nimiam ſpirituum animalium depauperationem, quin imo à morbo, ipſaque morte non immune, quod pervigilia docent. Sed ſi non excipiat conſueto ordine ac tempore vigilias moderatas ſomnus, ſitque morboſus, ut in ſoporoſis affectibus, utique cauſæ nomen meretur. Vigiliæ verò præternaturales in ſenibus, hypochondriacis, ſcorbuticis &c. cum ex defectu ſeri blandi, quod poros cerebri occludere debebat, oriantur, & ſpiritus animales debilitent, non poſſunt non cauſa procatarctica fieri. Idem etiam de vigiliis voluntariis in ſeram usque noctem protractis certum eſt: ſpiritus enim animales ad alia avocant, hinc verò ſtomacho in fermentationis opere auxiliatrices ſubtrahuntur manus, coctio debilitatur, cruditates cumulantur, chylus nutritioni ineptus relinquitur; quæ mala non ſunt timenda cum aurora habetur amica.

§. 14. Conſideranda veniunt quoq; EXCRETA & RE-

TENTA, cum excernuntur ea quæ retineri, ceu bona, ſatius fuiſſet, & retinentur quæ excerni, ceu inutilia corpori, magis proficuum fuiſſet. In excretionibus ſc. materia nutritia diſperditur, ut per hæmorrhagias frequentiores narium, uteri, vaſa hæmorhoidalia, gonorrhœam, fluxus alvi & urinæ, qui rarior, diuturniores, crebriores, per fortiora & frequentiora purgantia, diaphoreſin voluntariam, per medicamenta eam promoventia, & involuntariam nocturnam. In retentionibus eadem ab aliâ cacochymicâ propriâ virtute ac debitâ conſiſtentiâ ſpoliatur, & vitia imbibit, vel etiam ab animalculis in animali abſumitur. Docent id obſtructiones alvi, meſenterii, vaſorum lacteorum, hypochondriorum, uteri, bronchiorum pulmonalium, ventriculorum cerebri, nervorum &c. Huc & vermes in inteſtinis aut ſub cute in infantibus latentes referendi, qui tum abſumunt, tum, eſt enim putredo nidus ipſorum, violant nutrimentum.

§. 15. Tandem ANIMI quoque PATHEMATA non prætereunda, ſiquidem & hæc gracilitatem accelerare poſſunt, præprimis ubi jam dum diſpoſitum ad eam corpus invadunt. In ira & gaudio, conceptâ ideâ boni in hâc, mali in illâ objecti, humores & ſpiritus animales commoventur fortius, id quod pulſus celerior ſtatim factus evincit; ubi igitur abundant ſalino-ſulphureæ partes in ſanguine, ſeroſis contra deficientibus, hæ illorum dominio cedunt, ulterius ſubiguntur, diſſociantur, diſſipantur. Triſtitia verò & metus ſpiritus figunt, humores ad motum ineptiores reddunt, ſi verum, uti omnino, eſt illud *Harv.* aſſertum: Timor *inquientis p. 118. de Mot. Cord.*, ſi adveniat effuſuro per Venæ ſectionem ſanguinem, nullo modo exit ille, niſi guttatim; & è contrario amoto metu cum ad ſe redit homo, ſanguis largius prodit. Huc & ii, qui veneris oeſtro perciti viros ſe præſtitere ſæpius indefeſſos, referendi; dum enim hi ſpiritus animales per plurimos ad genitalia tendentes nervos copioſè allatos largâ quaſi manu ac liberali expendunt, non poſſunt non, ut alias, ita & hanc noxam pati.

§. 16. Vi-

§. 16. Viſis hactenus cauſis naturalibus & non-naturalibus reſtant PRÆTERNATURALES, quæ quidem paſſim jam occurrerunt in antecedentibus, ut tamen ordine procedam, eas enumerabo. Sunt itaque inappetentia, obſtructio vaſorum chyliferorum, lymphaticorum, pancreatici, meſaraicorum, vermes, crinones, paſſio hypochondriaca, ſcorbutus, febres intermittentes, tertianæ, quartanæ, continuæ, hectica, phthiſis, catarrhi, tuſſis, gibbus, paralyſis, lethargus, coma, pervigilium, hæmorrhagia narium, hæmorrhoidum apertio frequens, geniture profluvium ſeu tabes dorſalis, diarrhœa, dyſenteria, diabetes, ſudatio nimia, menſium ſuppreſſio, fluxus immodicus in ſequiori ſexu, ulcera fœda fiſtuloſa. Singuli hi affectus quomodo maciem inferant, ex antecedentibus innotuit, illud ſaltem addam, ſæpe atrophiam comitari dolores atroces v.g. genuum, artuum &c. ubi ſcilicet ſerum acrius circa perioſtia ſtagnans illa tum tendit nimis, tum angulis acutis, quaſi ſpina infixa, pungit & ſolutionem minitatur. Hinc ſpiritus animales inordinatè moti aliis partibus debita præſtare munia, & ſuccum nutritium vegetare nequeunt, ut taceam, à ſero hujusmodi acriori cum ſanguine communicato illius partes non poſſe ad requiſitam conſiſtentiam pervenire. Ex dictis verò affectibus ſingulis atrophiæ ortæ exempla videantur apud Practicos.

CAPUT IV.

De Differentiis atrophiæ.

§. 1.

PErſpectis & cognitis cauſis, differentiæ facile patent. Eſt verò alia ratione *durationis* recens, alia inveterata & hæreditaria. Ratione partium inhæſionis ſeu *denominationis*, alia univerſalis, alia hujus vel illius partis, digiti ſc. manus, brachii &c. Ratione cauſæ, alia à ſanguinis & ſeri, alia à ſpirituum animalium, alia à partium vitio. Ratione *ſexus*, alia

 viro-

virorum, alia fœminarum; ratione *ætatis*, alia puerorum, alia adultorum, alia ſenum, quæ in ſpecie maraſmus ſenilis dicitur.

CAPUT V.

De *Signis*.

§. 1.

SIGNIS atrophiæ, quà talis, opus quidem non eſſet, incurrit enim in ſenſus; at, cum ex tam variis ſcaturiat fontibus, neceſſitas requirere videtur, ut ſingulorum, quos illi anſam dare aut conjungi ex *Cap. 3. §. ult.* patuit, affectuum ſigna addantur: ita nimirum, cui hæc vel illa in ſpecie originem debeat, certiores erimus.

§. 2. Ab *Occluſione* itaque *vaſorum lacteorum* ſi dependeat, conjunctus eſſe ſolet abdominis tumor, ſtagnantibus humoribus flatuoſis in inteſtinis; alvus eſt fluidior ferè, quin nonnunquam fluxus ipſe chyloſus, non raro etiam vomitus tales unâ vel duabus à cibo horis, in adultioribus quoque anxietas aliquando adſunt.

§. 3. Si *Meſaraicorum ductuum obſtructionem* pro causâ agnoſcat, id ipſum tenſio & gravitatis ſenſus in abdomine, arteriarum circa dorſum pulſus, dolor per ſpinam dorſi ſub oſſe ſacro & lumborum vertebris, ubi meſenterium annexum eſt, manifeſtant.

§. 4. Ab *Hypochondriacâ paſſione* utrum orta ſit, colligi poteſt, cum ſigna ejus præſto ſunt: ut ſputum copioſum, ructus acidi, nidoroſi, ventriculi inflationes, hypochondriorum æſtus, & durities, dolores gravativi &c.

§. 5. An *Scorbutus* malum foveat, ex dolore interdum punctorio, plerumque gravativo capitis, pleuritico, colico, hypochondriaco, crurali, palpitatione cordis, difficili reſpiratione, inappetentia, virium debilitate, ulceribus & tumoribus &c. cognoſcitur.

§. 6. An

§. 6. An *Vermes* abſumant nutrimentum, apparet ex oris fœtore, ſomno inquieto, narium pruritu, facie pallidâ, morſu ventris &c. Sin pueri edant quotidie nec tamen nutriantur; & præterea pruritum moleſtiſſimum in dorſo, brachiis, & cruribus ſentiant, hujus in *crinones* redundat culpa.

§. 7. Quod ſi pulmonum ulcus ſeu *phthiſin* maciei cauſam ſuſpiceris eſſe, conjecturæ veritatem ex tuſſi frequenti, reſpiratione difficili, facie pallidâ, poſt cibum verò ſumtum rubrâ, ſudoribus colliquativis nocturnis, pulſu parvo, frequenti & imbecilli, calore miti, poſt cibi uſum fortiore, & reliquis hujus ſignis concludas.

§. 8. Ex calore autem continuo, (debili quidem primo attactu, paulo tamen poſt acredinem atque eroſionem quandam oſtendente, præcipuè cum diutius tangendo immoreris, autore *Gal. l. 1. de diff. febb. c. 9.*) item ex calore volæ manus, ſiti continuâ, tranſpiratione ſeu ſudore copioſo, appetitu debili, &c. *Febri Hecticæ* gracilitatem acceptam ferendam judicabis.

§. 9. Quando motus eſt ablatus, ſimul etiam ſenſus interdum, membrorumque adeſt gravitas & frigiditas, maciem *paralyſi* adſcribere licet; Lethargo, ſi febri continua cum ſomno profundo ægrum laborare videris, comati verò, ſi citra febrim hic contingat.

§. 10. An macies inde provenerit, quod menſtruum *lunæ tributum* debeatur ultra terminum ſolutionis in fœminino genere, docebunt capitis dolores acerbiſſimi, jam pulſantes, jam gravativi, & lumborum, pallor faciei, tormina inflationesque ventris & hypochondriorum, hincque oriunda reſpiratio anheloſa, it. faucium conſtrictio, ut ſæpe videantur ſuffocari, & baculum in œſophago ſe habere dicant, urinæ utplurimum pallidæ, crudæ, ſpiceæ, interdum & flammeæ &c.

§. 11. An verò ejusdem *ſolutio* debito *major* maciem intulerit, ex debilitate virium, inappetentiâ, tumore pedum œdematoſo, colore faciei fœdo &c. certior fieri poteris.

§. 12. In recenſendis reliquorum, qui maciem inducunt,

 mor-

morborum ſignis non eſt quod diu immorer; cum enim citra ea facilè innoteſcant, brevitatis ſtudio lubens illa prætéribo.

§. 13. De ſignis PROGNOSTICIS vero quoad EVENTUM, ejusque DURATIONEM & MODUM, univerſaliter judicandum eſt partim ex causâ atrophiæ; illa ſc. ſi facilè aut difficulter tollitur, idem etiam de hac ſperandum; partim ex ejus gradu, qui ſi ultra naturæ æquatorem provectus ſit, incurabilis eſt, & contrà. Sic ſi oriatur v. g. ab hypochondriacâ paſſione, phthiſi, vel ſcorbuto, non tàm citò auſertur; ſiquidem hi, ceu cauſę, ſæpe etiam optimis non ſtatim parent medicamentis & tolluntur, ſed ſunt chronici, ergo etiam effectus hic non æque tollitur. Causâ vero facilius cedente medicamentis, nec ad perfectum maraſmum σκελετώδη malo perducto, hic quoque effectus facilè tollitur, ſenſim ſenſimque rorido nectare iterum imprægnatis partibus.

CAPUT VI.

De
Curatione in genere.

§. I.

PRæmiſſis his CURATIONEM aggredior, initio facto, ſecundum triplicem METHODI MEDENDI INDICATIONEM, à CURATORIA, malum ipſum reſpiciente. Illud verò in quo conſiſtat ex ſuperioribus innotuit, in defectu ſcil. particularum nutritiarum. Hinc, cum contraria contrariis curentur, ut iſtę defectus reſarciatur, & nutritio debito iterum fiat modo, omni annitendum eſt operâ. Huic ſcopo inſervit, quæ PRÆSERVATORIA audit, & cauſas reſpicit varias, indicatio altera, quovis modo exequenda, non neglectâ denique VITALI, quæ id, quod ſecundum naturam, ſeu vires reliquas ſtudiosè conſervat.

§. 2. Quod ſi itaque maſſa ſanguinea orbata ſit ſucco nutritio à morbis exantlatis, ille reparatur cibis, qui in ſuccum

& ſanguinem facilè converti poſſunt, quos pòſt recenſebo. Si defectus hic à non aſſumto cibo, ob ventriculi fermentum vitiatum, ſtomachicis ille tollendus eſt, quæ ventriculo prolongato itidem non minus auxilium ferunt. Vermes in illo hoſpitantes appropriatis anthelminticis expellendi. Fermentatio ſanguinis & ſeri minor aperientibus, attenuantibus, volatilibus, ſpirituoſis, ſtomachicis, anthypochondriacis, ſcorbuticis promovenda. Contra fermentationem majorem abſorbentia, acrimoniam imbibentia & humectantia proficua ſunt, ſeu ſerum in copiâ ἐνεργητικῶς augentia.

§. 3. Spiritus animales deficientes augendi & reparandi alimentis laudabilem ſanguinem, & conſequenter etiam ſpiritus bonos generantibus, qualis enim chylus, talis ſanguis, qualis ſanguis, tales ſpiritus vitales & animales, & qualia ſingula, talis etiam nutritio. Quod ſi verò via tantum denegata ſpiritibus ſit ob meatuum obſtructionem, eorum recluſione per volatilia penetrantia aditus ipſis conciliandus iterum eſt. Ulcera tandem à traumaticis auxilium exſpectant.

CAPUT VII.
DE
Curatione in ſpecie.

§. 1.

MAteria, quæ his dictis ſcopis obtinendis velificatur, ex tribus hauriri ſolet fontibus: CHIRURGICO, PHARMACEUTICO, DIÆTETICO. Primus offert Venæ ſectionem, cucurbitulas, frictiones, picationes, & alia; ſecundus varia ex triplici, vegetabili, animali, & minerali regno in uſus aptata remedia ſuppeditat; ultimus ſex rerum nonnaturalium uſum legitimum exhibet & præſcribit, quæ ordine conſiderabo.

§. 2. VENÆ SECTIO non in quâcunque macie opem promittit, non ubi morbum quendam humido depauperato excipit atrophia, ab hoc enim partes nutritiæ & ſpiritus ani-

males jam dum ſatis ſunt deperditi; neque eam expectare licet à lancettâ, ubi primæ viæ in culpa ſunt, utpote quæ inde nullam correctionem ſentiunt. Nec ſuadendam iſtam reor, inprimis copioſa cum profuſione, ubi maſſa ſanguinea tartareis, crudioribus, fixioribus abundat particulis: hîc enim eo modo ulterius imminueretur mobilior & fluxilior ſanguinis pars; falſa enim illa & abſurda eſt, vulgi opinio, educi per venam ſectam, (par ratio eſt aliarum evacuationum,) ſaltim vitioſum humorem. Quod ſi ergo ſubtiliores partes Venæ ſectione detrahantur, ſpiritus animales poſtmodum pauciores gignuntur, fermentatio adeoque & calor jacturam patiuntur, cruditatesque augentur. Locum verò invenit ejusdem adminiſtratio, ubi copia ſanguinis viarum ſpatio major, & hinc acceſſus illius & ſucci nutritii impeditur. Eo modo *Hipp. l 5. epid. c. 2. t. 15.* virum conſumpto & tabeſcente corpore adhibitâ venæ ſectione reſtituit. Simile exemplum habet *River. cent. 2. obſ. 78.* Prodeſt etiam, ſi ſanguinis evacuatio ſuppreſſa malo occaſionem dederit, ut hæmorrhoidum vel menſium, qualis obſervatio eſt *Benivenii cap. 44. p. m. 144.*

§. 3. CUCURBITULÆ in uſum vocari poſſunt, cum vel ſine ſcarificatione, iisdem adhibitis cautelis, quatenus ad partes vocantur nutritii humores magis, quàm educuntur. Convenit cucurbitula ſicca etiam in tabe à depreſsâ cartilagine enſiformi, licet cum *Hoffmanno* nonnulli eandem dari negent, de quibus inſtar omnium legi meretur *Zacut. Luſ. l. 1. pr. admir. obſ. 133. p. 34.* FRICTIONES quoq; tum totius in univerſali atrophiâ, tum certi membri in particulari, calidæ, molles, mediocres cum pannis aſperis. Hoc vero modo allectis humoribus, inungi ſolet corpus oleoſis & pinguibus, quæ poros cutis his attritionibus apertos occludunt, ne quod appulit nutribile, diſſipetur & pereat. PICATIONES ſæpe hinc inde per totum corpus inſtituuntur. Exemplum videatur *ap. Zacut. l. c. obſ. 136.* ubi & plura huc facientia habet. Optimè verò omnium URTICATIONES, præcipuè in paralyſi,

factâ

factâ partium cum urticis minoribus percuſſione, ejusdemq; pro re natâ repetitione.

§. 4. Succenturiantur his, etiam poſt principia ſtantibus ſæpè & debilibus, ex PHARMACIA petita quæcunque obſtacula tollere & ſuccos nutritios defecare, alterare, roborare; partesque ipſas ad recipiendum ac retinendum aptare norunt. Tollunt obſtacula præſidia univerſalia, lenientia, purgantia, diaphoretica & diuretica. Cùm enim ex primâ culinâ omne mutuandum ſit corpori reliquo nutrimentum, meritò hanc, tanquam facultatis naturalis quendam præſidem, attendere addecet. Hinc per LENIENTIA res expedienda & PURGANTIA ipſa, cumprimis ſi poſitiva adſit materia, humores viſcidi, lenti, glutinoſi, bilioſique, atque hinc μόλυνσις inducatur, ſi glandulæ inteſtinales nutritiæ obſtructæ & inviſcatæ fuerint, ſi vermes ibi latitent abſumentes, aliaque cacochymiæ educendæ indicantia, præceſſerit ἀδδηφαγία & repletio. Faciunt huc ipſa aloetica, M℞ *il. aloet.* ☿*lium*, ♀ *car. elix. propr. laxat. an. rhab. ſenn. Alex. ſ. ſ. rhab. Alex. gialapium, mechoacanna* & alia nota, minus δραστικά, item pro re natâ ♀ *emet.* ☿ *vit.* ▽ *bened. Rul* &c. Obſervatum enim fuit non rarò, non potuiſſe ſuccurri ægris, etiam infantibus, præcipuè tumidiori ſimul abdomine, niſi his ipſis, itaque liberatis primis viis longè efficacius operata fuiſſe alterantia & reliqua. Nec abnuunt clyſteres quoque, modò quis minus abutatur iisdem, ad ſaburram inteſtinorum elutriandam. Nutritios verò, tantoperè licet commendatos, minus æſtimamus.

§. 5. Quód ſi verò à causâ magis privativâ, calore debili, fatiſcente archeo, atrophia corpus detineat, ut in ſenibus, tantum abeſt, ut purgantia ἄνω vel κάτω proficua ſint, ut potius ſummè noceant. Auferunt nempe reliquum quod ſupereſt humidum, & tantò citius inducunt maraſmum, quod in ſenibus potiſſimum valet, & qui ex ſiccitate ſcorbutica σκελετώδες corpus habent. Hinc datis his vires ventriculi & totius ſubvertuntur magis, ut contrario ſtatu appeti-

tus redit, & conſequenter corpus ſenſim ſenſimque priſtino reſtituitur vigori.

§. 6. Diaphoretica licet videantur itidem diſſlare magis nutritium humidum, eoque corpus privare, præcipuè quando in fluores propendet id ipſum, unde & *antihecticum Poterii* nonnullis malè audit, inſons tamen, ſi cum humectantibus detur; habent tamen non minus aliquando locum. Sic conveniunt, quando in glandulis ſubcutaneis viſcidior hæret lympha, quando tranſpiratio prohibita, ſcabies, ſcorbutus, diarrhœa, non ab obſtructione oriunda, aliaque vitia malum fovent. Laudamus hinc *bez.* ♂*le*, ♃*iale*, ſiccâ & humidâ viâ parata, *-um* ♀ *ſudorif. eſſ. myrrh. balſam. ſudorif. cinnabarina*, aliaque temperatiora.

§. 7. Diuretica verò, tanquam genuina aperientia, dum venarum amurcam abſtergunt, ſanguinem & ſerum ſerenando, non minus obſtacula debita tollunt, inprimis ſi *στάσις* lymphæ circa hepar vel alias partes contingat. Hinc hydropicos videas arefieri quoad clima corporis ſuperius, tumefieri verò quoad inferius. Sic & obſtructiones glandularum optimè expediunt, ſeligenda pro diverſitate ſubjectorum tum ⦶ſa, quæ ardorem reſpiciunt ſimul, *arc. duplicat.* -⊕*l. coag.* ♄ *diaph. non edulc.* tum alcalina, *mag. oc.* ♋. *ſuccin. alb. ppt.* quæ in fluore albo conjuncto, (nec rarò atrophiam cauſante) ſerove ichoreſcente & minus hinc nutribili eximiè proſunt, vel acida quoque, pro re natâ, & media, modo in ſingulis cauſam magis quam effectum reſpiciamus, nec hunc tamen negligamus, v. g. ⊖ *d. arc.* ♀*riſ.* & ♂*le, eſſ.* ☿*ii duplic.* & ſimilia.

§. 8. Alterantia & roborantia tum Generalia, tum Specialia conſtitui poſſunt; illa, quæ fermenta viſcerum ſeu ſanguinis & ſeri laboratorii corrigunt; hæc, quæ reſtituunt utraque, præcipuè verò ſerum. Sic, ubi ob ventriculum malè habentem oritur atrophia, in uſum ſunt vocanda quæ illum roborant: ut *rad. aron.* ⊖ *abſinth. cent. min. eſſ. abſinth. ſ. & comp.* ⊖ *d.* *maſtich. pulv. ſtomach. Birckman. ſpec. ſtomach.*

mach. Mynſ. elix. propr. ſ. & antiſcorb. ℞ ♂ *balſamica* & plura alia hoc nomine celebria. Hæcque vario modo miſceri, ut alia atque alia forma pro lubitu emergat, poſſunt, v. g.

℞. *eſſ. abſ. comp.* ʒj. ⁓ *maſtich.* ℈j. ⊖ *d.* gtt. xv.
M. D. in vitro. S. Magen-Mixtur.

℞. ☿ *ſtom. Querc. ſpec. ſtom. Mynſ.* a. ʒj.
ol. menth. ♌*l.* gtt. vj. M. F. Pulv. pro 5. vel 6. doſ.

Si in inteſtinis latens vitium in culpâ, eadem dicta & *hepat. rubr. Dr. Elix. propr.* ♀ ⊕*tus, eſſ. fumar.* conducunt.

§. 9. Quando bilis aut ſeri acrimonia *fluxus alvi* excitaverit, hocque modo id, quod nutritionem corpori promiſerat, ejecerit, *conch. ppt. pulv. abſorb. D. Pr.* ♃. *d. bez.* ♂*l. unic. foſſ. mat. perl. perl. ppt. bol. armen.* ∀*r. ſigill. japon.* & alia huic frenum injicienti, a inprimis anodyna, ex uſu ſunt. Sic

℞. *bez.* ♂*l.* gr. xxiv. ☿. *abſ. D. W.* ʒj.
unic. foſſ. ℈ß. ∀*r. Catech.* ℈j. ⁂ *nuciſt.* gtt. vj.
M. F. Pulv. pro 5. doſ.

§. 10. Si *Vermes* in corpore hærentes abſumunt nutrimentum, danda ſpecifica anthelmintica, *ſem. ſanton. corallina*, ⁂ *tanacet*; ☿ *d.* & alia, præter jam laudata purgantia. Notabilis eſt locus de tabe infantili apud *Zacutum Luſitanum prax. admir. obſ. 133. p. 35.* ubi cum eandem ſæpe à vermiculo intus prognato fieri dixiſſet, plurimos addit hoc morbo prehenſos, ſummeque extenuatos ad ſanitatem ſe reduxisſe, ter exhibito ℈j. *caſtorei* in lacte diſſoluti, unde per alvum excluſo verme obeſo vixêre renutriti.

§. 11. *Meſenterium obſtructum* recludunt aperientia ♂lia, modo humida eligenda, quibus atrophiam infantum frequentius & feliciter curavit *D. Præſes*, modo ſicca, prout cauſa & lympha variaverit. Talia ſunt ℞ ♂*t. pom. cydon. cryſt.* ♀, ♀ ⊕*tus*, ⁓ ⊖ ✱*c. liqu. C. C. juccinat.* ⊖ *abſinth.* ⊖ *vol. ſucc.* ☿ *cach. Qu. Rolf. Wed. croc.* ♂*t. cum* ⊖ *abſinth. aut ex* ☠ ⁓ *aper. Penot. paratus, ſpec. diarhod. Abb. diatr. ſand. arom. roſ. eſſ.* ⊕*l.* ♂*t.* ℞ ♃ ♀ *ſata*, ⁓ ⊖ ♀ *iſt.* ⊖ ✱*ci* ♂*les*, ⁓ *volat. cochlear. eſſ. antiſcorb. Mich. Elix. propr. antiſc. &c.* Eadem locum quoque habent in hypochondriaca paſſione & ſcorbuto, hepate, vel liene affecto. Sic

℞. *croc. ♂t. c. ⊖.* ℈ij. *⅙ ♂l. cach.* ʒß.
fl. ⊖✱. ♂l. gr. xij. *☍ caryoph.* gtt. ij.
M. F. Pulv. pro 4. 5. doſ.

℞. *eſſ. ⊕l. ♂t. antiſcorb. abſintb. comp.* a. ℈ij.
R ♂*t. pom. vel cydon.* ʒj. M. S. öffnende Eſſentz.
Doſ. gtt. 30. 40.

Hæc vel in juſculo calido, vel vino ſumi poſſunt, vel cum ſequenti infuſo:

℞. *rad. acor.* ʒj. *5. aper.* a. ℈ij.
herb. hep. nob. matriſylv. ceterach,
cichor. heder. arbor. acetoſ. a. p. ij.
ſummit. abſinth. fumar. cent. min. a. p. j.
raſur. l. ſaſſafr. ſand. citr. a. ʒß.
cort. capp. cinam. ſem. 4. carmin. a. ℈j. M. Conc.

Cont. g. m. in ſindone rubr. interpaſſentur ac infund. in vin. vel cereviſ. Mane prius calefiat in cyatho doſis.

℞. *rad. acetoſ. cichor. pimpin.* a. ʒj.
h. cochlear. anagall. ▽tic. trifol. fibr.
chamædr. chamæp. a. p. ij. *fl. hepat. nob.* p. j.
ſumm. pin. abſinth. a. p. iß. *ſem. aniſ.* ʒj.
coſt. ver. cinam. acut. a. ℈ij. *cryſt.* ♀ ʒß. M.

§. 12. Ubi *ulcus pulmonum* nutritionem impedit, adhibenda *antihect. Pot. rad. ſymph. irid. fl. glycyrrh. tuſſil. fl. & lac* ♃ *balſ.* ♃ *aniſ.* ♀ *Hal. contra phthiſ.* & plura aliunde huc repetenda.

℞. *conſ. h. coſt.* ℥ij. *roſ. antiqu.* ℥ß.
rad. glycyrrh. ppt. ℈ij. ♀ *Hal. cont. Phthiſ.* ʒij.
antih. Pot. ℈j. *balſ.* ♃ *aniſ.* g. iij.
eſſ. myrrh. balſ. gtt. xv. *ſir. de jujub.* q. ſ. M. F. l. a. Elect. D. in Pyx. Terr. S. Bruſt-Lattwerge.

℞. ▽ *pulm. vit. c. ſucc. herb. acetoſ.*
cord. H. S. fr. a. ℥iß. *cinam. cydon.* ℥ß.
mag. matr. perl. antih. Pot. a. ℈ß. *C. C. phil.* ℈j.
ſir. de ſymph. Fernel. q. ſ. ad g. ſ. M. F. Potio.

§. 13. In *obſtructione nervorum* laudabilis eſt *eſſ. caſtor. lign. aloes,* ~ ⊖✱*c. fulig. lil. conv.* ▣*noſ. cochl.* ▣*noſus, C. C. lumbricor.*

for-

formic. quæ partim internè, partim externè in linimentis conveniunt. Simili modo, ſi ab aliis morbis atrophia orta fuerit, procedendum, ſingulos debitis prius tollendo remediis, quæ tamen hic, prolixitatis odium declinaturus, prætereo.

§. 14. Præter hæc verò alterantia generalia, ſingula ratione ſtatus ſubjecti præmiſſa, vel præcipuè adhibita, poſitâ indicatione, ſpeciatim etiam proſunt & velut appropriata SPECIFICA, quæcunque & ſalia temperant, quo nomine *perlæ* & ex iis parata laudem merentur, ac obtundunt, humidumque nutritium efficaciter reſtituunt alimentoſa & medicamentoſa, aqueo & ſulphureo γλισχρῷ fœta, ut dulcia temperata, quæ plurimum nutriunt, *paſſulæ, ſaccharum, amygd. d. pin. piſtac. ſuccol. ind. elect. reſumpt. panis martius, conf. alkermes,* item *lac amygdalatum* &c. v. g.

℞. *nucl. pin.* ℥iij. *amygd. d.* ℥vj. *piſtac.* ℥ß.
▽ *hed. arb. ſummit. abiet. anal.* a. ℥ij. *roſar.* ℥j.
M. F. l. a. Emulſ. Col. add. *matr. perl. ppt.* ℈iß. *ſacch. perl.* ℥j. vel q. ſ. D. in fict. Laudari item merentur *deſtillatum ſanguinis porc. ſ. & compoſ.* quod *Horſtius l. 2. de tuenda ſanit. c. 5.* laudat: ℞. *ſangu. porc. junior. recent. mactat.* ℔iv. *fol. tuſſil. ſcabioſ.* a. mij. *conſ. roſ. borrag.* a. ℥iß. ▽ *tuſſil.* ℥xv. M. 𝔖*la per* MB. *dulcor. ſacch. perl.* q. ſ. doſ. ℥ij. Quam in rem legi meretur *Cardanus l. de cur. admir. cur. 4. p. m.* 214. & ſeq. Extollitur etiam ▽ *mirab. ad impinguandum Ferdinandi, & Zacut. ſtillatitius liquor limacum,* & ſimilia. Licet enim hæ ipſæ aquæ propriè loquendo non ſint nutrientes, cum ſubſtantifica talis refectio ex culinâ magis, quam officinâ, ſi laudata priora exceperis, expectanda ſit; conveniunt tamen pro reſtauratione humidi, diluitione & attemperatione.

§. 15. Partes denique ad recipiendum vel retinendum aptant TOPICA varii generis, tum emollientia & balſamica, quæ, diverſo reſpectu, & ſqualorem ſolantur cutis, & dilatant ſubſidentes poros glandularum, & difflationem nimiam prohibent mucilaginoſa & oleoſa virtute, calorem vero attemperant, ex *herbis ſ. emollientibus, melil. chamom. oc. pop.*

ol. amygd. d. nucl. pin. petrol. laurin. lil. alb. medulla crur. vitul. pingued. hum. ungu. reſumptiv. martiat. roſac. dialth. modo dorſo illinenda, modo abdomini ad diſſolvendam pituitam in ventre contentam, quod experimento *Sylvii l. 1. prax. c. 14. §. 56. p. m. 168.* & *D. Præſidis* eſt laudatiſſimum. Tacemus nervina alia in obſtructionibus nervorum paralyticis uſitata & jam ex parte tacta, ex *ungu. nervin. ol. deſtill. pingu. caſtor.* &c. Faciunt huc etiam balnea ex decocto *capitis & pedum vervecis, oc. popul.* aliisque dictis, in ditioribus balneum lactis dulcis.

§. 16. Tum abſterſoria, quæ inſigniter proficua ſunt, ſi ſub dorſi cute latens viſcoſior lympha, quæ vermes, crinones ſeu dracunculos, die Miteſſer / dictos æmulatur, tranſpirationem prohibeat, ſuccumque nutritium corrumpat; v. g. *rad. bryon* in lixivio cocta, *rad. lil. alb. fol. ſiderit. conyz. cærul. abrotan. ſaponar. hyperic. melilot.* Ex his balneum parari poteſt, ubi verò in hoc aperiuntur pori cutis, & materia illa, quam putant plurimi eſſe capita cineritia vermium, prorepit, novacula vel cruſta panis abradenda eſt. Idem balneum in meſenterii infantum obſtructionibus, quo caſu faſcino illos ſæpe correptos dicũt mulierculæ, uſurpari poteſt, non neglectis internè jam laudatis cumprimis aperientibus.

§. 17. His denique manum porrigit Diæta, nutritionisque ſpem promittit non ultimam, & conſiſtit in legitimo ſex rerum non naturalium uſu. Aer itaque ſit temperatus in caliditate & ſiccitate; cavendum à nimis frigido & humido, qualis ſolet eſſe principio veris; ſic & autumnus tabidis nocet, teſte *Coo 6. Epid. ſect. 7. text. 14.* & *3. aphor. 10.* Vitetur etiam metallicis refertus particulis, aut aliàs impurior.

§. 18. Cibus ſit εὔπεπτος καὶ εὔχυλος multum nutriens, carnes vitulinæ, pullorum, caponum, gallinarum, perdicum, ova mollia, præcipuè vitelli, cancri fluviatiles, hordeata, cum jure vervecis vel pulli, ptiſana, lac dulce caprinum, aſininum. Si phthiſicus eo nutriri geſtiat, offerantur bruto plantæ antiphthiſicæ, ſcordium, bugula, herba coſtæ &c. ſi ſcorbuticus aut hypochondriacus ab eodem lactis uſu auxilium ſperet, alatur animal plantis antiſcorbuticis, cochleariâ, naſturtio,

tio, acetoſâ, & ſim. Vitelli quoque ovorum, butyrum inſulſum, farina hordei & oryza cum lacte cocta optimè nutriunt. *Borell. obſ. 70. cent. 4.* peponum frequenti uſu maciem curatam poſteritatem docuit. Quomodo impensè incraſſantia & motum cohibentia ſanguinis fermentationis nimiæ, nutritionem depopulantis, activitatem inhibeant, elegantiſſimè edifferit *Malpighius ep. 1. de pulm. p. m. 117.* Vitentur contra cibi ſaliti nimis, carnes fumo induratæ, & aliæ coctionis difficilioris quæcunque.

§. 19. Potus ſit cereviſia defecata, pura, temperata, non recens nimis aut craſſa, decoctum hordei cum paſſulis & ſero lactis. Vinum generoſum modicè in cœnâ conceditur, quod colore, odore, ſapore bonum, non auſterum, non turbidum, ſeu ♀um multum in poris ſuis continens, ſed ſpirituoſum. Hôc enim ventriculus gaudet, & ſpiritus animales roborantur, præſertim in maraſmo ſenili. Nimiæ potationes omnes vitentur ſedulò, ob rationes ſupra datas.

§. 20. Somnus & vigiliæ juſto ordine ac tempore ſe excipiant. Motus & quies modum non excedant; prior frequentius inſtituatur, ubi ab obſtructione meſenterii aut hypochondriorum macies provenit, non tamen ad plenariam laſſitudinem. Alvus quotidie officium faciat, aut, ſi ſegnior, lenientibus *pil. Francof. Glaſſ* aut aliis ſtimuletur. Excretiones ejusdem nimiæ ſiſtantur. Affectibus animi, triſtitiæ, timori, iræ, curis, meditationibus, veneri frena non indulgeantur laxa nimis, ſed & iis ſit certus denique.

F I N I S.

Te probitas ornat: Tibi de profectibus Arte
Gratulor in Medicâ: Gratulor & Patriæ.

In honorem doctiſſimi Dn. Reſpondentis, Commenſalis ſui perdilecti atq; honorandi ſcrib.

Frid. Bechmann, D. P. P.

Qui ſtudiis alimenta negant, tabeſcere cogunt,
ſed qui dant eadem, creſcere opima vident.
Tu tabem ſtudiorum exoſus, plura miniſtrans
augmenta, hinc capies præmia digna brevi.

Gratulab. ſcribeb.

PRÆSES.

SEin Fleiß läſt/ **wehrteſter**/ die Wiſſenſchafft erkennen/
So Er in der Natur ſich hatt zu Wege bracht/
Und allen waß wir ſonſt geſchickt und artig nennen/
Darauf die Tugend iſt von Jugend auf bedacht.
Wer wolte nicht erhöhn diß rühmliche Beginnen/
Und ſagen daß es Lob- und Preiſes würdig ſey?
Indem Apollo ſelbſt zuſampt den Caſtalinnen
Und unſerm Saal-Parnaß diß Zeugnüß leget bey.
Ich wünſche noch dazu/ daß das geneigte Glücke/
Die Kugel ſtetig nur nach ſeinen Willen dreh'/
Und ihn beſeelige durch angenehme Blicke/
Damit diß Edle Werck gewünſcht von ſtatten geh'.

Dieſes ſetzet ſeinem hochgeehrten Herrn Tiſchfreunde
Daniel Jacob Bode/ Rinth. Th. St.

MIr daucht/ dein itzig Werck/ **mein Freund**/ gar recht bezeuget/
Wie mit der Wiſſenſchafft dein Geiſt ſich ſo genehrt/
Daß gar kein **Abnahm** ſich an dir hierin ereuget/
Und der Schatz Eurer Kunſt bey dir ſich ſtets gemehrt.
Drum dein bekandter Fleiß heiſt mich itzt alſo ſchlieſſen/
Wie diß Prognoſticon ſetzt ſelbſt dein Podalir:
Wer ſich umb **Abnahm** ſo und deſſen Quell befließen/
Und dahin iſt bemüht/ wie unſres Leibes Zier
In Purpur ſtets mag' ſteh'n/ der kan kein **Abnahm** ſpühren/
Weil/ wie bekandt/ Galen die Schätze ſelbſt außſtreut/
Und ſeinen Kaſten muß ſonſt keine Kranckheit rühren
Als nur die **Gelbe Sucht**/ die doch vielmehr erfreut.

Hiermit wolte gegen ſeinen Herrn Lands-Mann und Tiſchgenoſſen ſeine ſchuldigſte Glückwünſchung ablegen
Henrich Eberhardt Schnermacher/ Hildeſ. LL. Stud.